



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

54. An Episcopus possit ordinare & dimissorias concedere filio alicuius satellitis, vel publicae meretricis. Et latè de irregularitate ex infamia. Et supponitur satellites esse irregulares? Et quid si ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

hereticos formaliter, seu vt tales, ita vt per hoc foveantur in heresi, fecus autem si ob amicitiam, parentelam, &c.

RESOL. LIII.

An Clericus, qui lapsus est in heresim, possit exercere susceptos Ordines?
Et notatur, quem ob suspicionem heresis ex qua consurgit infamia, irregularem fieri. Ex p. 4. tract. 4. & Misc. Refol. 8.

Negativè respondet Bonacina de censur. disp. 7. quest. 3. punct. 7. num. 6. ubi multos alios citat. Ratio est, quia irregularis non solum non potest promoveri, sed nec etiam Ordines exercere ante obitament legitimam dispensationem irregularitatis.

1. Sed post pœnitentiam, & abjuratorem probabiliter puto posse susceptos Ordines exercere. Ita Sayrus de censur. libro 7. cap. 12. numero 16. Avila de cens. part. 7. disp. 4. dub. 2. & alii, ex c. saluberrimum. 1. quest. 3.

3. Notandum est etiam hic obiter quem ob suspicionem heresis ex qua consurgit infamia, irregularem fieri; sed, vt observat Bonacina ubi supra numero 4. ex Diaz, & Suarez hoc intelligitur, quamdiu suspectus manet, seu donec non purgaverit suspicionem.

RESOL. LIV.

An Episcopus possit ordinare, & dimissorias concedere filio alicujus satellitis, vel publicæ meretricis?

Et laudè de irregularitate ex infamia.

Et supponitur satellites esse irregulares.

Et quid, si supradicta meretrix fuerit conjugata?

Et quid de filio carnificis?

Idem dicendum est de filiis, quorum Patres fuerunt publicè flagellis cæsi.

Et an damnati ad trirèmes sint irregulares?

Et quid de eorum filiis?

Et an Histriones, & officium carnificum, macelliariorum, lictorum, & similia sint Officia infamis conditionis.

& nota, & ex eo sint irregulares?

Et an infamis in uno loco remaneat infamis in alio loco, ita vt non possit recipere ordines in ullo loco?

Et notatur infamiam juris incurri dupliciter, primo per sententiam iudicis definitivam; secundo per quadam crimina, quibus statuto juris annexa est infamia; huiusmodi sunt perjurium in iudicio, simonia, sodomitia, improbum fœnus; id est ubi usura usurarum exiguntur, sacrilegium, duellum, crimen læsæ Majestatis, heresi, fautor, & receptor Hæreticorum, & alia crimina notoria.

Et an per adulterium incuratur irregularitas, vel tantum suspensio, &c.

Et tandem queritur, quomodo infamia auferri vel dispensari possit? Ex part. 10. tractat. 11. & Misc. 1. Refol. 26.

Quod primum, suppono Satellites esse irregulares; hoc tamen non obstante, eorum, filios non esse infames, nec irregulares: & ideo posse Ordinibus initiari tradunt communiter Doctores, & ita docet Marchinus, de Sac. Ord. tr. 1. part. 10. cap. 4. Suarez, de Censur. disp. 48. sect. 3. n. 3. Palaus, rom. 6. di-

Tom. V.

sp. 6. punct. 20. n. 5. Bonacina, de Sacram. disp. 7. q. 3. punct. 2. numer. 12. Reginaldus tom. 2. lib. 3. c. 12. art. 2. cap. 15. n. 198. Filiuc. tom. 1. tr. 19. c. 8. n. 230. Megala, ubi infra num. 158. Majolus de irregul. lib. 3. cap. 1. n. 7. & alii. Et ratio est quia ignobilitas, & vilitas parentum non nocet filiis, quin ad Ordines & quascunque Ecclesiasticas dignitates promoveri possint, si ipsi laudabiliter vivant; ut notat Glossa in c. Quoniam vetusto 24. quest. 1. verb. Invidia: & infamia juris non incurritur, nisi sit in iure exprella: sed contra filios satellitum, nulla juris infamia, in iure lata invenitur; vt habetur contra filium, & nepotes parentum violentas manus in Cardinales injicientium, ex cap. Felicis in 6. & contra filios proditorum crimen læsæ Majestatis committentium, ex leg. Quisquis, §. Filii, Cod. Ad leg. Jul. & in aliis similibus casibus in iure, expressis. Ergo, &c. Et ita nostram sententiam, præter Doctores citatos, tenet Cornejo, in 3. part. D. Thomæ, tract. 5. de irregul. cap. 8. dub. unico quest. 3. ubi sic ait: Quæres an hæc irregularitas incuratur ex infamia inculpabili, vt ex vili conditione officii, aut personæ? Respondeo affirmativè; ubi duo observanda sunt. Primum est nullum Officium quamvis vile, & abjectum, inducere irregularitatem, nisi vel aliquo iure civili, aut Canonico constet inducere infamiam, vel tale sit, vt sine peccato mortali exerceri nequeat: quia tunc ratione talis peccati, inducet infamiam facti. Secundum est, infamiam, & irregularitatem harum vilium personarum ratione officii non transire in filios: Ita ille.

2. Sed quid dicendum de filio meretricis an possit ab Episcopo promoveri ad Ordines? Et negativè respondet Sayrus, de censur. lib. 7. cap. 11. num. 8. Sed cum ipse hanc sententiam, ait Megala in 3. lib. 7. c. 1. quest. 8. num. 156. nullo iure probet, & infamia juris non contrahatur sine iure hoc determinante; existimo hoc dictum non esse admittendum, nisi invento iure hoc affirmante: quod Ego summa diligentia quæsi, & invenire illud non potui; sed potius inveniri contrarium. Hæc Megala. Verum sententiam Sayri tenet Cornejo supra, quest. 2. licet meretrix publica fuerit conjugata: ideo tu cogita: sicuti, & de filio carnificis, vulgo dicto, il boia: nam licet huius officium sit vilissimum, & ipse non solum, quia vindictam sanguinis exerceat, sed etiam quia infamis est irregularitatem contrahat; vt per text. Gloss. & Doctores in Clement. 1. dixit Majolus de irregul. lib. 1. c. 1. n. 5. vers. Inter hos: ubi addit hoc etiam procedere in eo, qui semel tantum tale officium exerceat, etiam si coactè hoc fecerit: tamen ejus filios, non contrahere dictam infamiam, & irregularitatem quoad Ordines, diceret Megala ex rationibus superius adductis, quæ militat etiam in filiis carnificum; & quia talis infamia contra eorum filios non invenitur in iure exprella. Vnde Palaus, ubi infra num. 5. asserit, filium carnificis non esse infamem, neque irregularem. Idem dicendum videtur de filiis, quorum patres fuerunt publicè flagellis cæsi: nam licet isti sint infames ex Cornejo, Marchino, & aliis, tamen ex rationibus superius dictis videtur dicendum, quod eorum infamia non transfertur in filios, ita vt arceantur ab Ordinibus. Et licet ego olim docuerim damnatos ad trirèmes non esse irregulares; modo existimo cum Thesaurio in praxi part. 1. capite 33. Si fuerint ad trirèmes damnati ex causa famosa; dictam pœnam inducere infamiam, & irregularitatem: non videtur tamen dicendum eorum filios dictam infamiam contrahere, vt non possint Ordinibus initiari: & hoc ex rationibus adductis.

3. Et tandem pro coronide hujus resolutionis, non deferam hic apponere opinionem dicti Castri Palai,

Docuit in
resol. quæ
nunc hanc
sequetur.

V

Palai,

Palai, ubi *supra*, tom. 6. disputat. 3. punct. 20. num. 6. ubi sic ait: Tertiò infamia nascitur ex officio; sunt enim aliqua officia ita vilia in Republica, ut ea exercentibus infamiam irrogare videantur. Hujusmodi est officium Histrionum, qui olim se pretio conducebant ad spectaculum sui corporis exhibendum, sive qui obscena publice representabant. De quibus S. Augustinus lib. 2. de Civit. Dei, cap. 11. & 13. Hi igitur ob turpes, & indignas representationes infamiae nota afficiebantur, juxta leg. 1. & 2. §. Ait Praetor. junctis duobus sequentibus, ff. de his qui notantur infam. cap. de finibus 4. questione 1. & cap. aliquantos §. 1. diff. Praeter supra dictum officium histrionum, seu scenariorum, alii enumerant officium carnificum; macellariorum, lictorum, & similia, sed absque fundamento, nam, esto sint officia infamis conditionis, & nota: nullo tamen jure scripto cavetur infames esse ea exercentes. Ita ille; Et quidem Cornejo, ubi *supra*, quest. 2. docet etiam nullum officium vile, & abjectum inducere irregularitatem, nisi constet in jure inducere infamiam. Sed, si sententia Palai esset admittenda, plures scrupulos tolleretur, & plures essent immunes ab irregularitate, & à petitione dispensationis. Verùm communiter contrarium Doctores sentiunt, asserentes, supradictos tanquam infames arceri ab Ordinationibus, & esse irregulares: Ideò viri docti cogitent.

4. Sed si inquiras hic, an infamis in uno loco, remaneat infamis in omni loco; ita ut non possit recipere Ordines in ullo loco? Affirmativè ex Hugolino respondet Bonacin. de Sacram. disp. 7. q. 3. punct. 2. n. 10. Ratio est, tum quia alioquin infamis in uno loco, migraret ad alium, ibique Ordines suscipere, sicque frustraretur finis legum, tum quia irregularitas est impedimentum personale, quod sequitur personam; ut in simili dictum est de effectibus censurarum. Sed negativam sententiam tenet Marchinus, de Sacram. Ordinis, tract. 1. part. 10. c. 4. n. 17. Dacor, ait ille, exemplo excommunicati denunciati in uno loco, qui non est vitandus in alio loco etiam ab iis, qui rem fecerunt. Itè quia in loco retinet bonum nomen: ergo ibi non est infamis: ergo poterit ad Ordines promoveri cum duobus conditionibus; Prima, ut infamia istius non sit facile perventura ad locum, in quo ordinatur: secunda, ut non sit reversurus ad locum, in quo famam amisit. Hæc Marchinus.

5. Verùm, quia sæpius occurrunt Casus circa irregularitatem ex infamia; dico itaque in gratiam Confessoriorum, infamiam juris incurrere dupliciter. Primò, per sententiam Iudicis definitivam, qua quis de aliquo crimine condemnatur. Secundò, per quædam crimina, quibus statuto juris annexa est infamia. Vide Sylvestrum, verb. Infamia n. 8. & 9. Hujusmodi sunt perjurium in judicio, simonia, sodomitia, improbi scenos, id est, ubi usura usurarum exiguntur, sacrilegium, duellum, crimen læsæ Majestatis, hæresis, similiter esse fautor, defensor, receptorem hæreticorum. Hi omnes ita sunt irregulares, quando crimen est publicum, ut per poenitentiam non purgentur; sed opus habeant dispensatione. Alia verò crimina notoria, etsi digna sint depositione, si tamen non habeant annexam infamiam juris, non inducunt veram irregularitatem, nisi post sententiam judicis. Ratio est, quia vera irregularitas non tollitur per poenitentiam, & vitæ mutationem, vel etià per purgationem canonicam tollitur. Vnde per adulterium, & crimina adulterio minora, non incurritur vera irregularitas quamvis notoria sint: sed suspensio quædam ob indecentiam, donec infamia sit absterfa, juxta Covarruviam 2. part. §. 1. n. 4. quod est contra Navarrum, qui cum multis aliis propter cap. Quæstium est de temporibus ordinandorum, putat incurrere irregulari-

tatem. Verùm hoc Capitulum non cogit; quia facile exponi potest de suspensione sicut exponit Covarruvias: vel certè, quod solum contineat poenam inferendam; tantum enim ait, eos, qui laborant infamia facti, impediri debere ab Ordinibus. Ratio est, quia hæc delicta solum faciunt inhabilem ad Ordines, & eorum ulum, ob infamiam facti: ergo hac infamia absterfa, &c. Et hæc omnia docet Lessius in 3. part. D. Thoma cap. 5. de irregul. dub. 1. n. 37. & 39.

6. Neque etiam deferam hic apponere verba Machadi tom. 1. lib. 1. p. 3. tract. 16. docum. 6. n. 6. ubi sic ait: [Hæc de advertit, que aunque communmente muchos Autores desfenden, que la infamia, que resuelta publicamente de qualquiera delito grave, induze irregularidad hasta que la persona sea en emienda del. Có todo esso, otros son de parecer, que por grave, que sea el delito, de que resuelta la infamia de hecho, no se contrae irregularidad, sino es en calo, que por Derecho le esté impuesta. Y Nicolas Garcia varon tan docto prueba, que por ningun delito por enorme que sea, excepto el homicidio, no se contrae irregularidad por razon de la infamia, aunque sea en el mismo tiempo, en que la persona persevera en el. Sed hoc communiter à Doctoribus non admittitur.

7. Si autem quæras, quomodo infamia aufertur possit? Respondet Bassæus, verb. irregularitas 20. n. 7. quatuor modis. Primò, infamia facti, aufertur potest per emendationem. Secundo, infamia juris canonici, & civilis potest à Summo Pontifice aufertur: immò illa, quæ est juris civilis, potest etiam aufertur à Principe, qui eam statuit; quia sublata infamia, tollitur Irregularitas. Tertiò, infamia potest aufertur per dispensationem Episcopi, quatenus potest dispensare in adulterio, & criminibus minoribus adulterio; nam dispensatio rectè dispensando in delicto indirectè etiam & accessorie abolet infamiam inde confluentem. Quarto, Sup. hoc in per Baptismum tollitur omnis infamia conflgens ex 6. vic. hujus delicto; nam infamia sequitur peccatum, sed per baptismum aufertur peccatum. Ita Bassæus.

8. Sed primum ejus dictum indiget explicatione: nam intelligendum est de emendatione triennali; vt observat Iulius Clarus, lib. 5. Sententiarum, §. ultimus, quest. 21. num. 2. Marchinus, ubi *infra*, cum Castro Palao, & alii. Quamvis Tolerus lib. 8. cap. 37. n. 3. dicat, non posse quem promoveri, quando delictum illius manet in mentibus hominum. Quod ego intelligo de mansione juridica, quæ tollitur poenitentia etiam annorum. Quòd si infamia sit apposta delicto à lege, vel à judicis declaratione per modum poenæ, vt in raptore mulieris, & hujusmodi; tunc non sufficit vitæ emendatio; sed Prælati dispensatio necessaria erit: nam poena juris aufertur non potest, nisi per legitimam auctoritatem; vt bene observat Marchinus de Sacram. Ordin. tract. 1. part. 10. capite 4. num. 13.

9. Quoad Tertium dictum Bassæi, sic asserit me Sup. hoc citato Machados ubi *supra* numero 8. Si la infamia es de Derecho dadan los Doctores, si podrá en ella el Obispo. Algunos lo niegan. Pero otros lo afirman: fundados en que puede dispensar en el adulterio, y otros delitos menores que el; por que dispensando directamente en el delito, es visto aver dispensado directamente en la infamia que del resulta. Et Marchinus ubi *supra* numero 14. docet, quòd in eo delicto, in quo Episcopus potest dispensare licebit ei dispensare in infamia ex illo confligente. Quare, dispensando in perjurio, hæresi, simonia, & hujusmodi, accessorie dispensabit in infamia; quæ ex illis oritur. Verùm Castros Palao tom. 6. disp. 6. punct. 20. num. 13. putat quòd Episcopus nullatenus potest cum infamibus dispensare, vt ad Ordines alcen

Sup. hoc sup.
in rel. 39. le
ge §. ult. fig.
nante in
princ. & vide
aliam ref.
not. 2. dict. §.

ascendant. Ve verò in susceptis ministrent poterit, post peccatam poenitentiam, dispensationem concedere, si delicta, ex quibus infamia contracta est, sint adulterio minora; vti colligitur ex c. *At si Clerici*, §. de *Adulterio*, titul. de *judicio*, & tradit Pannorm. c. *Cum eo*, num. 15. de *Sentent. & re judicata*. Vide etiam Molinam, *trakt. 4. disput. 10. num. 6.* Avilam *part. 7. disp. 4. dub. 5.* & Henriquez, *lib. 14. cap. 5. num. 5.*

10. Et tandem, quoad quartum dictum Bassæ, assero, cum ipso sentire Bonacinam de *Sacrament. disput. 7. quest. 3. punct. 1. numero 6.* nam non obstat, quod infamia juris non tollatur per poenitentiam: ergo neque per baptismum: cum ratio dicta de baptismum militet etiam in Sacramento poenitentiae. Respondendo enim negando consequentiam; nam plures effectus producuntur per baptismum, quam per poenitentiam: nam baptizatus, si statim suscepto baptismum, moriatur, migrat in caelum; cum per baptismum tollatur omnis reatus, non verò per poenitentiam: nam sublato reatu poenae aeternae remanere solet reatus poenae temporalis; vti constat ex dictis de poenitentia: consequenter mirum non est, si per baptismum tollitur infamia juris, non verò per poenitentiam. Verum hæc opinio mihi non placet; & illam reprobat Cornejo in 3. *part. D. Tuoma tractat. 5. de irregularit. disputat. 8. quest. 5.* & alii; quia per baptismum non tollitur infamia juris saltem civilis: unde si Iudeus Romæ, aut Turca in Hispania esset per sententiam Iudicis publicè propter furtum flagellatus, quamvis postea baptizaretur; maneret nihilominus infamis, & inhabilis ad actus civiles; si esset condemnatus ad tritemes, non liberaretur per baptismum, nisi adesset Principis dispensatio; ex quo fit, ut etiam maneat infamis infamia canonica, irregularitatem inducente, ex illo principio generali, quod omnis persona infamis jure civili, est etiam infamis jure canonico. Vbi advertendum est, doctrinam hanc procedere solum in illis Iudeis ac gentilibus, qui subditi sunt Principibus Christianis, & per omnes leges civiles talem infamiam ante baptismum contraxerunt: secus autem in illis, qui in propriis Provinciis infidelium degentes juxta proprias leges infames erant: nam isti illicitè ac baptizantur, infamiam illam amittunt.

RESOL. LV.

An damnatus ad tritemes efficiatur irregularis?
Idem est de poena infamia. Ex p. 4. tract. 2. Ref. 83.

§. 1. **H**ic casus frequenter potest accidere, & de illo interrogatus fui propter quemdam Religiosum, qui cum abjurasset in nostro sacro tribunali inquisitionis, & fuisset damnatus per triennium ad remigandum, postea elapso tempore & ad Religionem reversus, Superior putabat supradictum esse irregularem, & tunc negativam sententiam probabilem esse dixi. Et ita docet Riccius *decis. cur. Neapol. part. 1. decis. 119.* & Homobonus in *consultat. casuum conscient. vol. 1. part. 4. respons. 158.* nam irregularitas non contrahitur nisi in casibus à jure expressis, quod idem dicendum est de poena infamiz, ex glossa in *cap. infamibus*, de *reg. juris in 6.* Sed nunquam legitur condemnatum ad remigandum contrahere infamiam, ex Bortello *consil. 52.* & aliis. Ergo, &c. quæ omnia notent Confessarii, nam hi casus sæpè in praxi accidunt, unde cum Riccio ubi *supra*, dicendum est non bene secundum hanc sententiam quemdam Provinciale Religionis voluisse

Tom. V.

excludere, ab electione Capituli Monachum olim condemnatum ad tritemes.

2. Non desinam tamen hic adnotare affirmativam sententiam docere Barbofam de *potest. Episcoporum part. 2. allegat. 43. num. 15.* Lezanam in *summa*, *quest. regul. cap. 16. v. 32.* & Campanili in *diver. jur. canon. rubr. 11. cap. 18. m. 16.* & segg. cum aliis asserentibus damnatos ad tritemes esse irregulares, unde utramque opinionem puto probabilem esse.

RESOL. LVI.

An Æthiopes sint irregulares? Ex part. 4. tractat. 1. Refol. 84.

§. 1. **N**egativè respondet Majolus de *irregularit. lib. 1. cap. 21.* Sed hanc sententiam Vgolinnus *trakt. de irregular. cap. 50. num. 4.* veram censet inter Æthiopes, nam leprosus inter leprosos admittitur, secus autem inter nos, horrorem enim generant; opinio tamen Majoli locum habere posset, ubi paululum niger esset. Ita Vgolinnus.

2. Verum sententiam Majoli in favorem Æthiopum absolute tenet novissimè Bartholomæus Gavantus in *enchirid. Episcoporum. ver. irregularitas, num. 18.* & mihi satis probabilis esse videtur.

RESOL. LVII.

An servi sint irregulares?
Et an si Episcopus alterius servum ordinaverit absente, vel ignorante Domino servus fiat liber. & Episcopus duplicatum Domino pretium reddere teneatur?
Et an servus, si sciente, vel non contradicente Domino Ordines recipiat, fiat liber? Ex p. 7. tract. 7. Ref. 54. alias 53.

§. 1. **R**espondeo affirmativè: unde adducam etiam hic verba Villalobos, qui summam omnia observat circa præsentem questionem, sic enim ait, in *summa. tom. 1. tractat. 14. diff. 36. num. 1. & 2.* [Los siervos, o esclavos son irregulares, como consta de muchos textos. La razon desta decision es, por que los que han de ser del gremio de los Ecclesiasticos, no han de ser esclavos de otros. Y anfi esta irregularidad no nace de la vileza de la persona, porque si le dan libertad, se puede ordenar, sino solo del estado presente.

2. Hæc de advertit, que como esta irregularidad dura tanto, quanto dura la servidumbre, y no mas, puede el señor quitarla, dando à su esclavo libertad expressemente del todo, como dize vn texto, ò dándole libertad, con que diga Missa por el, que este bastaria como fuesse con autoridad del Obispo, como consta de un texto, o remitiendole las obras fabriles, o artificiales, como es arar, y plantar, o otras semejantes, como dize Abad, y puede esta dispensacion hazerse tacitamente, si el siervo se ordenasse sabiendo el señor, y no lo contradiziendo, como prueba vn texto, porque callando, es visto consentir, conforme à una ley, y mucho mejor, si expressemente consiente, que se ordena, todo lo qual ha lugar, aunque el siervo se ordene solamente de Ordenes menores, como dizen Sylvestro, Navarro, y Vgolino: el qual dize que es lo mesmo, aunque al principio no lo ya sabido el señor; si despues sabiendolo no contradixo dentro de vn año, como consta de vn texto, y es la razon, porque callando por tanto tiempo, ya es visto consentir. Ita ille.

V 2 3. Vide